

1576 Oktober 8. präs. zu Regensburg. — *Die Gesandten Wilhelms von Oranien und der Stände Hollands und Seelands an die Reichsstände.*

*Abschrift Mzer. RTA. 72, actorum liber, fol. 630—636. — Vermerk auf der Rückseite: Des prinzen und staten in Hollandt und Seelandt oration zu Regensburg in gemeinem reichsrat fürgetragen, von anderer Hand: Lectum 12. Octobris anno etc. 76 solis electoribus. — Über den Empfang der Gesandten im Fürstenrat vgl. RK. RTA. 54<sup>a</sup>, tomus secundus, fol. 498<sup>v</sup>. — Der Inhalt der Rede ist wiedergegeben bei Häberlin a. a. O. 10, 385 f. Über die Aufnahme der Rede durch den Fürstenrat und den Beschluß der Stände vgl. H. Moritz, Die Wahl Rudolfs II., der Reichstag zu Regensburg (1576) und die Freistellungsbewegung 429 f. Vgl. auch Ritter a. a. O. 1, 500 und 510 ff. Vgl. dazu auch die im Sept./Okt. 1576 verfaßte pfälzische Instruktion zur Werbung bei Wilhelm von Oranien und den Staaten von Holland und Seeland bei Friedr. v. Bezold, Briefe des Pfalzgrafen Johann Casimir 1, 209 ff.*

Si, illustrissimi generosissimique principes vosque huius sacri Romani imperii ordines incliti amplissimique, qui vobis cum sacra caesarea Mte. ad pacem per Belgium procurandam constituendamque communis constansque animi affectus est, omnibus simul per christianum orbem hominibus esset inditus, nec essent, qui aequis et pacis neutri parti fraudi futuris conditionibus obsisterent, paucissimis in eam sententiam dicenda possent absolvi. Nunc vero, quia sunt, qui ad pacis conditiones nos non admittendos tantum, sed bello crudeliter persequendos, funditus excindendos et cruentissima clade prorsus delendos arbitrantur, vix possunt, quae ad eorum immanem truculentamque crudelitatem (quam in consilium potius quam rationem adhibent) refellendam et ad nostram contra aequabilitatem animique submissam moderationem asserendam dicenda sunt, brevibus explicari, quippe quod utrumque vix unus homo sustineat. Quapropter illustrissimas vestras celsitudines ac inclitas amplitudines, quam possum, submississime demississimeque oro, ut tanta attentione et benignitate dicentem me audire, imo verius orantem exaudire dignemini. Quanta cura et propensa animi sollicitudine sacra caesarea Mtas. res per inferiorem Germaniam misere ob funestissimum bellum afflictas respexit, cum primum quidem, ut tanti incendii faces restingueret, non in-

firmæ auctoritatis virum, serenissimi regis Ungariæ supremum cubicularium, in Hispaniam ad regem, clementissimum dominum nostrum, pacis procurandæ causa ablegavit et cum regio legato Montacutio sæpe multumque disserens nihil intentatum reliquerit, quo pacis et concordiæ ratio iniri et confirmari posset, tum deinde illustrem ac generosum comitem Guntherum ex ordine quatuor comitum sacri imperii Romani, comitem in Schwartzburch, sacrae Mtis. consiliarium, contra valetudinem minus firmam et anni tempestatem per saevissimam eius anni hiemem in extremas prope Batavici oceani oras amandarit, qui pro summa quæ est animi moderatione et singulari in rempublicam christianam studio, quæ ad pacem ineundam facerent, rationes omnes conquireret, simul et controversiis utrinque sopitis Hispaniarum regis, clementissimi domini nostri, animum ad benignam mansuetudinem flecteret et populum Batavicum pacis ac tranquillitatis studiosissimum in ea, qua erga regiam Mtem. est fidei perpetua constantique observantia, confirmaret. Quo munere ita comes pro sua industria et animi summa moderatione functus est, ut spes esset, et quidem certissima, totius negotii conficiendi summo cum Belgii adeoque totius christiani orbis bono, nisi, qui ex nostra calamitate nostraque ruina tanquam ex incendio publico suas fortunas auctas volunt, adversariorum obstitisset iniquitas.

Quapropter sacrae suæ Mti. et quidem infinitas gratias debet christianus orbis universus, cuius quippe omne robur, pace firmatum inconcussum persistit. At vero Germania et imperii huius ordines, quo vicini incendii propius a se flammam abesse sentiunt, eo se arctiori quodam beneficentiæ vinculo obstrictos multo etiam plus suæ Mtis. pietati debere profitentur. Sed maxime certe nostra misera et iam dudum teterrimo hoc ac diuturno bello prope attrita patria hoc tanto accepto beneficio hac tanta et tam singulari suæ Mtis. pietate se suæ Mti. devinctam ac mancipatam confiteatur, necesse est, ut ipsum nunc rerum suarum statu hoc miserimo caesarem intuens non patronum solum sed parentem clementissimum agnoscat, in cuius sinum aegritudinis suæ quaerelas deponere minime reformidet. Cum enim luculentissimo hoc testimonio nostram sibi salutem curæ esse palam fecerit caesar et ultro pro incredibili suæ pietatis clementia, quæ putaret e re nostra fore, tam sedulo nobis procurare studuerit, praeclarum certe ad quidvis de sua Mte. sperandum toti Belgio signum sustulit.

Sed cum ad tantum ac tam praeclarum beneficium accessit ille quasi cumulus, quod cum virum suæ Mte. permittente apud nos praesentem habuerimus, qui et acerrimo ingenio et iudicio limato et rerum usu summo plurimum valeret et iusticiæ, acquitatis atque incorruptæ moderationis etiam laude præstaret, rerum omnium gestarum certus, oculatus

ac constans testis et quasi quidam arbiter nobis existat et nostram aequitatem, modestiam atque animi submissionem cum adversariorum nostrorum feroci contumacia atque animis nihil minus quam ad pacem spectantibus comparando ad veritatis stateram poter[it] expendere et ponderare. Omnino existimavit illustrissimus princeps Aeraicus caeterique Holandiae et Zelandiae ordines esse nos ad suam Mtem. pro se ablegandos, qui coram actis suae Mti., quam maximas possemus, gratiis perpetuam nostram et constantem voluntatem in amplectenda pace et tranquillitate nobisque regiae Mtis. observantiae submittendis declararemus et simul faceremus perspicuum, haud nostram ullam vel animi impotentiam vel studii praefractam contumaciam pacis consilia disturbasse, sed quorum effrenis cupiditas huic incendio faces primum submovit, eorundem audaciam atque arrogantiam intollerabilem sanctissimis suae Mtis. de pace componenda studiis viam omnem atque aditum praeculisisse. Neque enim vel vobis sacri Romani imperii principibus illustrissimis vel ullis totius orbis christiani hominibus potest esse obscurum, quantas, quam iustas ac necessarias funestissimo huic bello praebuerit occasiones Hispanorum nulli ingenuo ferenda insolentia.

Quippe quod nulla sit res, quam vel turpitudine in flagitiis vel crudelitas in suppliciis vel superbia in contumeliis possit efficere, quam non se Hispani quodam quasi suo iure ac praescriptione impune putent, quibuscunque versentur locis, posse admittere. Et nullo sane illis unquam loco pedem figere licuit, quo non omne genus probri, flagitii atque sceleris vestigia impresserint. Cuius rei etiamnum memor Germania vel ipsam Hispani nominis mentionem toto pectore aversatur; nam quae ad illam pessundandam et cupiditatum suarum iugo subigendam eorum fuerint olim studia, quae artes, qui conatus quomodo denique in ea se gesserint, nemo est Germanus, qui non vel ipse memoria complectatur vel a maioribus quasi per manus traditum fando acceperit. In Belgio vero, ubi se propiori necessitudinis iure regnum obtinere arbitrantur et olim, cum essent in praesidiis, et dudum ex quo, ab Albano duce religionis scilicet constituendae praetextu specioso deducti, redierunt, quanta immanitate, crudelitate, petulantia et foeditate grassati sint quibusque probri, flagitiis, facinoribus atque sceleribus omnia contaminaverint, quae potest orbis christiani ulla esse tam obscura atque abdita regio, ad quam huius rei fama non pervenerit! Hollandos quidem et Zelandos, quos pro perduellibus illi habent, ferro flammaque, quoad ab eis fieri potuit, passim devastari, non usque adeo mirum videbitur. At vero florentissimas illas Brabantiae, Flandriae, Arthesiae, Hannoniae, Geldriae, Frisiae ceterasque omnes universi Belgii provincias, quae illos hospitibus acceptos omnis benevolentiae et charitatis officiis cumularunt atque omnibus subsidiis adiutos

ex summa rerum egestate ad omnium affluentiam evexerunt, ita foede direptas, vastatas, expilatas atque omnibus prope ornamentis, opibus et commertiis exutas, quis non indignum et quovis vel atrocissimo bello vindicandum esse statuatur? Quis vero etiam vel auctore vel conscio rege, clementissimo domino nostro, factum arbitretur? Haec ego si singulatim recenseam, dies dicentem me citius quam oratio defecerit, sed non est necesse, quod non dubitemus vestris illustrissimis celsitudinibus ac inclitis amplitudinibus plaeraque satis esse nota, quibus non dubitamus etiamnum haerere in memoria, quae anno 1570 (si recte memini) in comitiis Spirensibus nomine Belgarum ob Albani tyrannidem profugorum libello supplici sunt exhibita. Quibus certe singularis crudelitatis, inauditae perfidiae, audaciae non ferendae, superbiae incredibilis, libidinis flagrantissimae, avaritiae denique inexplebilis exempla tam multa, varia et clara proponuntur, ut ad eorum commemorationem nemo non exhorrescat iudicetque non potuisse Auracę principem vel ipsius provinciae ordines tam foedum atque intollerabile iugum sine infamia perferre diutius.

Et tamen ea levia possent existimari, si cum iis, quae insequenti tempore, non dicam in Hollandos Zelandosve, quos pro hostibus illi habent, sed in socios suos atque amicos eosque ipsos, quorum ope, consiliis atque subsidiis bellum sustentabant, admiserunt, conferantur. Ex quibus nemo est, qui non facile, qui sit eorum animus et quo intendunt, possit perspicere. Amstelredama certe, si ulla unquam alia civitas summam illis fidem, opem, operam atque auxilium in reliqua Hollandia oppugnanda praestitit, eam tamen illi pro gratia nimirum referenda ingenti pecunia mulctarunt. Antwerpia, quae merito semper habita fuit pro celeberrimo totius orbis emporio, an non eos, omnibus humanitatis officiis exceptos, pecuniae, armorum ac rerum omnium ad bellum gerendum necessariorum subsidiis auxit et ornavit? Hanc tamen ipsam viri boni scilicet ac regis, clementissimi domini nostri, fideles ministri hostilibus armis captam ac variis modis insolentissime vexatam oppressamque inspectante ac nequicquam prohibente suo commendatore maiore 36 mensium stipendium solvere coegerunt. Nam quid ego de Ultraiecto dicam, quam illi urbem, cum dudum ante coniuratione inter se facta diripere ac ferro flammaque vastare frustra tentavissent, nuper iterum infestis signis aggressi, admotis scalis hostiliter oppugnarunt et procul dubio expugnatam diripuissent, nisi civium atque eorum Belgarum, qui in arcis praesidio reliqui erant, virtute tam nefario sceleri obviam itum esset? Quid iam est necesse commemorare in caeteris passim urbibus cives ad unius Hispaniensis sicarii vocem nefarie contrucidatos, quid matronas, quid virgines constupratas, quid domos expilatas, quid incensos vicos

atque omne genus vim toties et tam scelerate intentatam, quorum certe non pauca ipse illustris ac generosus Schwartzburgii comes suis ipse oculis coram intuitus testari poterit? Quamobrem qui palam explicatis signis ad tympani ac lituorum strepitum regiae Mtis. praeclarissimas ac florentissimas urbes, quarum etiam quidem arces ipsimet praesidio tenebant, in quibus arma, pecuniam, subsidia suppeditata inveniebant, non dubitarunt oppugnare et aperta luce sub oculos sui commendatoris violenter invadere, in civium aedes furiose involare, suos omnes gubernatores, suos militum tribunos ac suum ipsum legatum regium, Castiliae commendatorem, edicto promulgato urbe eiicere. Ecquid tandem ab iis vel modestiae vel moderationis sperandum restat nobis, quos illi pro atrocissimis hostibus, pro perduellibus, pro divinae ac humanae Mtis. peractis reis, pro pessimis haereticis ac Lutheranis habent semperque habuerunt et qui cum suis Hispanis, quorum in imperio sunt quibusque se sacramento militiae obstrinxerunt, nullam societatem nullamve fidem colunt, iine nobis quippiam a sua crudelitate, scelere atque flagitiis immune esse patientur? Ac ne quis existimet, quod militari tumultu per seditionem factum est, id non debere eo referri, quasi ab ipsis ducibus fuerit probatum, omnes iam vident hos ipsos, qui huius tam scelerati facinoris duces ac principes extiterunt et quo eorum quique crudelissime acerbissimeque grassati sunt, eo pro melioribus fidelioribusque regiae Mtis. ministris palam haberi eorumque opera ac manu ad reliquas regias urbes oppugnandas, diripiendas vastandasque commendatorem maiorem in singulos dies usque ad extremum suae vitae spiritum usum esse et ab ipsius morte, qui rerum gubernaculis sunt admoti, in hanc usque tempestatem uti. Et adhuc audent illi nos pro perduellibus et maiestatis laesae convictis criminari. Et cum contra regem ipsi perniosa, seditionis plena arma sumpserint, ut scilicet aliquot mensium stipendiolum extorquerent, non verentur nobis, quae ad conservandam regi provinciam, ad conscientiae religionem tutandam, ad coniuges ac liberos a flagitio, fortunas a rapina, cervices a securibus ac patibulis vindicandas et, ne nimium serviliter pellendos necandosve eorum nos superbiae praeberemus, contra externos falsosque regii nominis ministros arma sumpsimus necessaria, obiicere eoque nomine de gravissimis perduellionis ac laesae maiestatis criminibus nos apud caesaream Mtem. caeterosque imperii principes impudenter deferre.

Sed in hac gravissima calumniae invidia recreat nos ac reficit eximia caesareae Mtis. ac prope divina sapientia cum humanitate ac moderatione coniuncta singulari, quae nunquam patietur nos iniustis istis tantae improbitatis adversariorum praeiudiciis opprimi; atque utinam certe haec causa apud sacram caesaream Mtem. assistentibus vobis illustrissimis

principibus electoribus non modo cognosci atque agi sed penitus peragi ac definiri possit! Beatos profecto nos tam sancto atque incorrupto iudice arbitraremur neque dubitaremus in caesaris aequitate et clementia conquiescere suoque nos subiicere arbitratui, cuius prudentiam singularem in sibi subiectis populis regendis ac moderationem quandam incredibilem in omnibus de religione controversiis sopiendis mirifice videmus elucere. At vero tantum abest, sacrae caesareae M<sup>tis</sup>. aut vestrarum illustrissimarum celsitudinum vel arbitratui vel iudicio vel denique exemplo contraversiam hanc nostri ut adversarii subiectam esse patiantur, ut etiam sanctum illud suae M<sup>tis</sup>. studium in pacis rationibus investigandis proponendisque prope indignis modis exceptum tantum non eluserint. Quam parvi enim illustrem ac generosum comitem a Schwartzburch, M<sup>tis</sup>. suae commissarium, in tanto erga rempublicam christianam merito fecerint, vel ex eo facile liquet, quod, ipsius praesentiam fere aversati, in ipso de pace tractatu datam fidem publicam ne minimo quidem temporis puncto sese prorogatuos esse denuntiarint caeterisque, quos sibi ad suam M<sup>tem</sup>. adiungi postulavit ab Aeraicae principe atque Hollandiae Zelandieque ordinibus legatis fide publica cavere recusarint. Praeter quod multis aliis indiciis fastidium quoddam eius in Belgium adventus non obscure prae se tulerunt. In quo certe non tam illum sibi a natura ingenitum fastum prodiderunt, quam nihil se magis ac pacis compositionem fugere atque aversari testatum omnibus facere voluerunt. Quod et apud omnes passim Hispanos et etiamnum ipso comite praesente et omni post eius discessum tempore variis sermonibus protritum ac pervulgatum fuit. Jactabant enim sperare nos quidem pacem et caeteros etiam Belgas, qui ab eorum alioqui partibus starent, eandem expetere, sed habere se constitutas rationes, quibus hanc nostram inanem ac stolidam expectationem eluderent. Nec enim sibi statutum esse Belgio nisi et fortunis nostris et sanguine probe saturatis excedere. Quanquam vel ipsa omnis de pacificatione actio per se satis declarat nihil illis fuisse aliud propositum, nisi ut lactatos reliquarum provinciarum falsa spe pacis animos iniecta de religionis discrimine mentione quasi poma quodam discordiae a nostris alienarent atque interea spacium sibi ad vires reparandas fiscumque amplificandum atque ad res suas constituendas sumerent, quod posteaquam interiectis subinde novis cavillis ac variis quotidie excogitatis tergiversationibus non prorsus incommode sibi cessisse arbitrati sunt, de repente propositis iniquissimis atque inauditis conditionibus, de reddendis portibus ac propugnaculis Zelandiae ac Hollandiae praecipuis, omnem reliquam de pace tractationem diremerunt. Nam initio quidem actionis ut nos ad spem pacis adducerent, non obscure prae se tulerunt graves ac prope iustas huius belli capessendi

nobis causas a ducis Albani superbia et crudelitate fuisse oblatas, eius etiam res gestas non sermone tantum et vultu, sed scripto et iterata saepius asseveratione sibi displicere significarunt ac proinde novos iudiciorum ordines ab Albano constitutos, iniquas publicationes additionesque possessionum ac proscriptiones aliaque eius generis acta rescindi ex reipublicae usu esse declararunt, regis voluntatem ad clementiam ac misericordiam atque ad omnia in meliorem statum restituenda reintegrandaque penitus propendere. Quare, quod equum ac iustum videretur, id libere postularem, duarum tantummodo rerum ratio haberetur, quas rex integras ac sartas tectas vellet conservari: religionem nimirum pontificiam et sui nominis dignitatem.

Nos ne quid admitteremus, in quo vel modestiae vel aequitatis aliquid posset desiderari, in omnibus rebus nominis regii dignitatem nos velle tueri ac vero etiam quantum possemus amplificare, affirmative testati, ad alterum de religione caput respondimus et in eo quidem ipso nos regiae M<sup>tis</sup>. auctoritati atque iis, quae in consessu generalium ordinum legitime convocatorum in usum reipublicae decernerentur, velle acquiescere. Quod quidem etiam supplicis libello commendatori per dominum de Champagnay exhibito testatum fecimus. Hic iam illi quas technas struxerint quibusque cavillis nostram petitionem eluserint, benigne quaeso atque attente, illustrissimi principes et amplissimi ordines, audite! Primum aiunt eiusmodi nostram petitionem esse, quam nedum regi sed ne commendatori quidem aut cuicumque ex regiis legatis ac proceribus sine periculo aut possent aut auderent exhibere. Itaque supplicem codicillum ad nos remittunt nec a quoquam esse visum asseverant. Etenim longe aliam esse nobis rationem ineundam, si regis aures nostris praecibus et quaerimoniis patere cupiamus. Quod si recusemus, nihil post esse amplius nobis tentandum sperandumve denuntiant. Post tamen, cum sacram caesaream M<sup>tem</sup>. hanc pacis tractationem serio ac studiose urgere intelligerent itemque cognoscerent caeteros totius Belgii incolas ardentibus atque importunis votis hoc ipsum flagitare et iam imperata subsidia atque imposita tributa, nisi componendae pacis rationes inirentur, aperte recusare, putarunt sibi astuto stratagemate et M<sup>tis</sup>. suae dignitatem immunuendam et totius populi atque adeo universi orbis christiani spem ac vota esse eludenda. Ac proinde, anteaquam a sua M<sup>te</sup>. legatus eo posset pervenire, iam ipsi non modo de pace priores mentionem iniecerunt, sed supplicem libellum, quem paulo ante prorsus respuerant et ne vidisse quidem datis litteris palam denuntiaverant, continuo mutata ratione ad regem in Hispaniam a se missum fuisse asseverarunt, et quod ab eo accepissent responsi, id se nobiscum velle communicare datis per legatum doctorem Leoninum

literis indicarunt ob eamque causam a nobis ad diem dictam procuratores pacis loco constituto adesse iusserunt. Hoc astu putarunt se caesareae Mti. et gratiam ac laudem quaesitae pacis eripere et auctoritatem in ea constituenda posse elevare. Nihil enim eos aliud spectasse, nisi ut fraudulenta pacis simulatione suam rem augerent caesarisque Mtem. et simul nostram erga regem fidei integritatem atque observantiam eluderent, et singula prope actionis capita et ipse rei exitus luculenter comprobavit. Nam interdum quidem causabantur haud deberi pro exteris censi Hispanos, quippe qui regio imperio non aliter ac nostri parerent, interdum rei conficiendae difficultatem proponebant variasque tergiversandi rationes alias ex aliis nectebant. Tandem vero, postquam diu multumque tempus ludificando extraxissent et interea temporis reliquas Belgii provincias novo et antehac inaudito iurisiurandi sacramento regis nomini, hoc est suae fidei et clientelae seu potius libidini, obstrinxissent, continuo statuunt comitiorum postulatione regiae Mtis. nomini ac dignitati nescio quam infamiae notam esse a nobis inustam. De religione vero omnino velle se, quid haberemus in animo, plane intelligere, ac proinde aperte loqueremur, an se finibus patriae exterminari passuri sint, quicumque aliam a rege religionem profiterentur, necne, idque ut rite caveretur, dedi sibi ante omnia Vlissingam, Arnemudenum, Brilam et Inhusam servitutis scilicet nostrae auctoramenta postulant.

Quo quid potest iniquius, quid perfidiosius, quid ad constituendam tyrannidem et sub turpissimum servitutis iugum universam Belgii provinciam redigendam fingi accommodatius? Hac enim ratione et pacis omnem spem et libertatis publicae fundamentum evertabant. Sane comitiorum atque ordinum conventibus principum dignitatem stabiliri, salutem reipublicae constitui, bonas leges atque instituta confirmari, nemo est, qui ambigat. In Belgio vero etiam universam principum dignitatem imperium ac maiestatem in comitiorum publicorum auctoritate quasi in arce munitissima ab omnibus retro saeculis conquievissent iisdemque ut civium erga principes observantiam, fidem, officium, ita horum erga illos benevolentiam, gratiam et charitatem constituisse, quicumque vel fando de rebus Belgicis tantillum audierunt, satis sciunt. Itaque nihil potuit a nobis fieri modestius, nihil vel ad regis dignitatem tuendam vel ad constituendam concordiam aptius, quam ut nos comitiorum decretis regia auctoritate comprobatis subiiceremus, in quo nullum extat audaciae, nullum insolentiae, nullum contumeliae vestigium. Quod vero etiam religionem nostram, quam a caeteris ordinibus nova sacramenti formula nuper abiuratam non ignorabamus, eorum ipsorum arbitrio, qui sese nobis palam adversari atque hostes esse profitentur, subiecimus, an non planissime evincit nulla neque vi neque gratia, sed sola conscientiae inte-



gritate ac rectitudine causam nostram niti, neque quicquam in nobis modestiae aut aequitatis iure posse desiderari? Quare, cum illi tam aequam nostram ac modestam postulationem tam proterve atque insolenter reiiciunt atque hanc tam salutarem ordinum cogendorum consuetudinem contra regis dignitatem esse contendunt voluntque regem contra omnes leges, instituta ac praestiti sacramenti religionem pro suo arbitrio adiunctis scilicet quos lubuerit consiliariis, quidquid adlubitum fuerit, de religione statuere, utique se produnt ad immanem et plus quam barbaricam tyrannidem animum adiecisse et simul nos ad crudelem interitum ac perniciem posci palam indicare. Nam si in hac de religione controversia neque verbi Dei neque apostolicorum oraculorum ullam haberi rationem volunt, si patrum testimonia conciliorumve auctoritatem respuunt, si denique nulla disputatione aut argumentis, sed solo nutu ac supercilio theologorum suorum rem tantam decerni obfirmate statuerunt, at vero quam iniquum tandem est tot hominum myriades atque integras fere provincias non audita totius ordinum universitatis sententia hoc praeiudicio damnari! Quam tyrannicum atque crudele tot, tantis et tam praeclaris civibus urbes nudari, municipia incolis, agros cultoribus, domos habitatoribus spoliari, avitis ac paternis possessionibus veros ac legitimos dominos eiici sine ullis populi comitiis ullave legitima causae cognitione! Quod quando non modo cum omni aequitate et iustitia ac gentium iure pugnat, sed regis sacramento, quo se suis civibus ac populis obstrinxit, ex diametro adversatur. Quis tandem sanae mentis dubitaverit hoc unum istos spectare, ut hoc bello, quod sibi suisque cupiditatibus exsaturandis peroportunum esse sentiunt, in multos annos prorogato florentissimae provinciae succum ac sanguinem omnem exhauriant et ita vel nudatae atque afflictae spoliis onusti in Hispaniam redeant vel certe universam faedae servitutis iugo praessam sibi subiiciant? Quanquam quid est necesse coniecturis niti, cum res per se loquatur? Hos ipsos, qui hoc bellum a multis retro annis avidissime expetiverunt, qui omnes ad illud inchoandum occasiones studiosissime aucupati sunt, qui apud regem provinciam omnem Belgico-Germaniam in invidiam et odium iam pridem vocare nunquam desierunt, qui et olim imperatori Carolo quinto, augustissimae recordationis caesareae Mtis. patruo, et nunc eius filio Philippo, regi nostro clementissimo, suasores atque authores semper extiterunt, ut Belgicum populum Hispanis legibus ac ritibus subiiceret, Hispano milite oneraret, Hispana inquisitione ab haereseos periculo vindicaret et, si qui dicto minus parerent, in eos tanquam in pe[r]duelles ac maiestatis reos ex Hispanarum legum severitate animadverteret. Hos, inquam, ipsos pacis quidem nomen simulando prae se tulisse, pacem vero ipsam, qua illis ad pristinam

egestatem et ad casas ac tuguriola Hispanica fuisset redeundum, quovis toxico magis abhorruisse. Eo enim spectat, quod tanto studio tantaque dimicatione iam dudum sacrificis summum imperium stabilire conati sunt, quod leges ac privilegia municipalia paulatim et primum quidem per cuniculos, mox vi aperta violarunt et penitus tandem labefactata everterunt, quod novam administrationis formam institutis per provincias novis episcopis, quorum imperio caeteri omnes magistratus (obtentio procurandae religionis atque exstirpandae haeresos velo) parerent, introduxerunt, quod ea edicta ab optimis et clementissimis principibus extorserunt, quae si ad amussim fuissent observata (quod et ipsum tandem a rege per summam importunitatem abstulerunt), nemo homo existisset, qui vel fortunas a rapacitate atque avaritia vel coniuges ac virgines puellas a probro ac libidine vel iugulos a cruoris sitientissima crudelitate horum hominum potuisset vindicare.

Quare, si ullum, illustrissimi principes et ordines amplissimi, post homines natos iustum ac necessarium bellum susceptum unquam fuit, hoc certe vel imprimis in eo genere, quod ad nos attinet, reponi merito debet. Etenim habentur ea fere iusta bella, quae non voluntate aut libidine ac caeco animi impetu, sed necessitate cogente ineuntur. Nam si quae sponte atque ultro dimicationes suscipiuntur, eae non temerariae modo atque insolentes, sed cum iniustitia atque improbitate coniunctae existimantur. Necessitatis autem varia cum sint genera, interdum repetendarum rerum, interdum finium tuendorum, non unquam sui defendendi, non unquam iniuriae vel a se vel a necessariis propulsandae causa suscepta belli contentio iusta atque necessaria existimatur. Quorum enim nobis natura sive legitima vocatio seu potius utriusque illius author ac parens Deus tutelam propugnationemque vel cum vitae periculo commendavit, in iis certe a vi atque iniuria vindicandis vitam profunderi nemo sanus unquam dubitavit. Eorum autem in numero censerentur liberos, coniuges, necessarios, parentes et quae horum omnium charitatem simul una complectitur, patriam, maxime vero nominis atque existimationis dignitatem, religionis incorruptam sanctitatem ac salutis aeternae procuracionem, omnibus saeculis fuit extra controversiam. Quae si per se singula satis magna ad iustam belli suscipiendi causam dicuntur, quid tandem statuendum erit, ubi confertim, catervatim, promiscue ac palam concurrunt universa? Hoc enim bello non de rebus tantum repetundis aut familia herciscunda aut agri finibus petendis agitur, sed de omnibus fortunis, vita, salute, dignitate, coniugibus, liberis, de legibus ac institutis patriis, de immunitatibus ac libertate civium, de religione denique ac Dei gloria semel simulque agitur, neque an post hac bene *beatissimeque vivamus, sed an omnino esse ac vivere debeamus* controvertitur.

Nobis enim, nisi huius necessarii belli anceps fortuna intercessisset, quid poterat vel in praesentis vitae usura vel in spe futurae esse reliquum, quod horum hostium superbia atque crudelitate non violaretur ac per vim penitus eriperetur? Quibus neque vivis patriam, liberos, coniuges, fortunas, possessiones, dignitatem, religionem aut Dei cultum neque mortuis sepulchri honorem vel apud posteros nominis existimationem vel denique coram Dei tribunali conscientiam integram esse patiebantur. Quibus neque aquam neque ignem neque aerem denique ac terram esse communem ferebant, sed et caelum ipsum ac vitam aeternam, quantum in ipsis erat, eripiebant, in eaque summa crudelitate atque iniustitia ita nullam personarum atque ordinum habebant rationem, ut privatos homines ac magistratus nullo haberent in discrimine, principes etiam viros ac populares eodem loco censerent et vero etiam integras civitates, municipia atque universas provincias tantis et tam atrocibus contumeliis atque iniuriis obrutas pessundarent.

Et tamen haec omnia nobis esse prius omni lenitate superanda quam armis vindicanda duximus. Egimus enim primum quidem votis ac supplicationibus perquam submissis, mox expostulationes et quaerelas nostras interdum ad proceres ac legatos regios, interdum in Hispaniam ad ipsum regem ablegavimus, sacrae caesareae Mtis. simul et vestram, illustrissimi principes, fidem imploravimus, vestras erga nostrum regem deprecationes supplici libello poposcimus.

Postea vero quam haec omnia nobis abire irrita perspeximus et pro benigna apud regem audientia libellos nostros supplices perduellionis crimine notari, legatos contra ius gentium contraque omnium hominum ac deorum fidem e medio crudeliter tolli, proceres ipsos, quibus nostra causa vel tantillum cordi esset, ad capitis rapi supplicia, patriam diripi, domos expilari, possessiones subhastari, coniuges ac liberos ad flagitium posci, nos in exilium relegari ac ne in exilio quidem ferri, cives nostros inauditis exactionum modis exhauriri, crudelissimis cruciatibus excarnificari neque ullum denique vel supplicii vel crudelitatis genus erga nos nostrosque praetermitti vidimus, quid tandem fuit reliquum, quam ut sumptis armis necessariis mortem potius cum dignitatis et conscientiae aliqua ratione oppeteremus, quam ut vitam ita miseram tot modis calamitose afflictissimam per summam infamiam cum aeternae salutis discrimine viveremus? Quare haud arripuimus ista arma pro libidine atque arbitrato nostro, sed a miserrimis nostris civibus, ab oppressis viduis ac pupillis infinitis, a coniugibus, liberis caeterisque necessariis nostris, ab ipsa denique afflicta et iacente patria atque ordinibus provinciae legitimis legitime ac necessario obruta ad nostram salutem, ad libertatem, ad religionem vindicandam tuendamque cogente conscientia atque omni

officii atque humanitatis ratione impellente sumpsimus. Et tamen haec ipsa arma non gravate vel antehac posuissemus vel hoc etiam tempore ponere parati essemus, si per adversariorum summam improbitatem atque inexhaustum odium, quo nos exstirpatos eversosque funditus cupiunt, qua ratione vel antehac licuisset vel etiamnum liceret. Id vero iam nobis minime cum sit integrum, ad sacrae caesareae M<sup>tis</sup>. aequitatem sanctitatemque supplices confugimus nostramque causam ex aequo et bono, ut aestimare sua M<sup>tas</sup>. dignetur, etiam atque etiam quam possumus vehementissime obsecramus. Suae enim M<sup>tis</sup>. fidei illustrissimorumque principum electorum ordinumque sanctis atque incorruptis iudiciis omnem hanc causam libenter subiicimus et quam possumus obnixissime commendamus. Quod si autem sacratissimi nominis caesarei dignitas caeterorumque Germaniae principum illustrissimorum auctoritas apud nostros adversarios ita pro nihilo habeatur, ut vestro stare iudicio non modo recusent, sed studium etiam vestrum et sanctam pacificationis transigendae voluntatem, putidis cavillationibus eludant, sacram caesaream M<sup>tem</sup>. simul et vos, illustrissimi principes ordinesque amplissimi, obsecramus et coram Deo opti-maximo, patre domini nostri Jesu Christi, cuius nomine hoc acerbissimum improborum odium nobis accersuimus, obtestamur, ut nobis sacrosanta vestra fides atque integritas apud omnes totius orbis christiani monarchos, principes ac populos nostrae velit innocentiae, aequitatis modestiaeque testis esse, neque recuset nos iam iniquissimis adversariorum calumpniis oppressos, audacia obrutos omnique patrocinio destitutos ac juris legitima defensione nudatos in sacri imperii tutelam pro solita vestra ac singulari humanitate et clementia benigne suscipere, neque supplices non velitis aspernari, quos caesarea incolumi M<sup>te</sup>., huius sacri Romani imperii (cuius membra semper exstitimus) dignitate integra miseros atque auxilii inopes nequaquam esse oportet.

Hoc beneficio et gratum Deo opus vestrae celsitudines praestabunt et nos universamque Belgii provinciam ac vero etiam omnem Germaniam, a qua nullo illa iure avelli debet, sacro Romano imperio reddiderint obstrictissimam.